



1) Buchl. an Ki 778(19) Rom
alle übr. verglichen
sind vorzüglich eingestell.
Rom

1)
2)
3)
4)
5)
6)
7)
8)
9)
10)
11)
12)
13)
14)
15)
16)
17)
18)
19)
20)
21)
22)
23)



- 1.) Just. Henric Boechmer de natura Statutorum.
- 2.) Id. de jure et statu hominum propriorum.
- 3.) Id. de statu liberorum sui juris factorum.
- 4.) Id. de dominio litis.
- 5.) Id. de poena sine crimine.
- 6.) Id. de exceptione metus injusti.
- 7.) Id. de restitutione in integrum contra sponsalia minorum.
- 8.) Id. de contumacia non respondentis.
- 9.) Id. de causis arduis.
- 10.) Id. de querela inofficiosi fratrum consanguineorum.
- 11.) Id. de vario sensuum significatu et jure.
- 12.) Id. de nominibus ecclesiasticis.
- 13.) Id. de efficaci mulierum intercessione.
- 14.) Id. de fundamento retractus duplicis in agris Hamburgensium.
- 15.) Id. de literis respirationis.
- 16.) Id. de diverso pignoris et hypothecae jure.
- 17.) Id. de scripturis non legibilibus.
- 18.) Id. de probatis repudiorum causis.
- 19.) Id. de verbis directis et obliquis.
- 20.) Id. de privilegiis legatorum piorum.
- 21.) Id. de successione in bona clericorum.
- 22.) Id. de cursu prescriptionis contra minores suspensa.
- 23.) Id. de vero usu remedii possessorii.

Leitzkau

- 24.) Just. Henig Boehmer de expensis criminalibus.
25.) Jusd. Vindicta Imperiales pro Parma et Placentia
Ducatibus
26.) Jd. de subsidii pecuniariis à Statibus Italia Imperato-
ri proferendis.
27.) Jd. de privati legatorum sacris.
28.) Jd. de jure principis circa dimissionem ministrorum.
respondente dn. Philipp Adolph de Manchhausen.
29.) Philipp Adolph de Manchhausen de jure Ministrorum
exigendi a Principe dimissionem
30.) Just. Hen. Boehmer de feudis ecclesiasticis
31.) Jd. de hypotheca feudali expressa.

LIBR.
Valentia
Imperat.
rum.
Lottum

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE

NATVRA
STATVTORVM, QVAE IN
CIVITATIBVS PROVINCIALIBVS
CONDVNTVR EORVMQVE
OBLIGANDI PRINCIPIIS

QVAM
INDVLTV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA FRIDERICIANA

PRAESIDE
DN. IVSTO HENNING. BÖHNERO
ICTO, POTENT. REGI BORVSS. A
CONSIL. INTIM. ET PROF.
IVR. ORDIN.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES

AD D. XIIX. IAN. MDCCXXI.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
SVBICIET

AVTOR

CHRISTIANVS SIEGFRIDVS NESEN
ZITTAU.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACADEM. TYPOGR.

i.

DISERTATIO - IN AVGVSTO
DE
NATVRA
STATVTOIVM CIVIVM IN
CIVITATIBVS PROVINCIARVM
CONDVNTVR FORVMOVE
OBLIGANTVR FORVMOVE
IN AVGVSTO
DE
NATVRA
STATVTOIVM CIVIVM IN
CIVITATIBVS PROVINCIARVM
CONDVNTVR FORVMOVE
OBLIGANTVR FORVMOVE
IN AVGVSTO
DE
NATVRA
STATVTOIVM CIVIVM IN
CIVITATIBVS PROVINCIARVM
CONDVNTVR FORVMOVE
OBLIGANTVR FORVMOVE



L 1, 187





CAP. I.
DE
LEGVM ET IVRIS IN CIVI-
TATE DIVERSITATE, PRINCIPII
TAMEN VNITATE.

SVMMARIA.

Legum civilium necessitas, & a Maestate origo. §. I. Multitudo & varietas legum in ciuitate, an ea multitudo reipublicae noceat? §. II. Diuersitas legum quaedam immediate, quaedam mediate ab imperante proficiscuntur. §. III. Quomodo nonnulla iura mediate a Maestate procedant? §. IV. An in una republica plures legislatores esse possint? §. V. Quomodo mediate a summa potestate leges procedant, de consuetudine, §. VI. de iuribus particularibus & statutariis. §. VII. Recensio instituti. Scriptores de statutis. §. VIII.

§. I.

Qvae legum in regenda & conseruanda societate humana sit necessitas, multis argumentis docere superuacaneum nobis videtur, re tam certa atque euidenti, vt huic veritati

contradicturus indignatione magis quam responsione fit excipiendus. Neque diu haerere possumus circa quaestionem, *cui potestas ius aliquod statuendi in societate civili* competat, cum ex *natura legis*, quae vi obligandi necessaria gaudere debet, quivis intelligere queat, legem a nemine proficisci posse, nisi, qui aliorum actiones suae voluntati habeat subiectas. Hinc lex praesupponit *imperium*, cuius pars primaria in *facultate praescribendi actionibus* normam acquiescit.

§. II.

Fons igitur omnis iuris summa est in societate civili *Potestas*; et quamvis diuersae iuris sint species, eas tamen omnes auctoritatem obligandique vim siue *immediate* siue *mediate* *Maiestati* debere, certissimum est. Vtrum vero *reipublicae utile & salutare foret, si haec legum diuersitas, quae in non paucis ciuitatibus maxima est, & in primis in reipublica Romana antiquitus admodum conspicua fuit, euitari posset, iam non disquirimus. Quotidie tamen experimur, magnam ex diuersarum legum collisione confusionem, incertitudinem iuris, & occasionem gratissimam litigiorum Patronis, in legum nimia varietate & multitudine perdendi iustitiam, nasci. Qui enim vel superficialiter tantum intueretur fora Germaniae praesentissima, animaduertet, incertitudinem iurium in his non leuem occurrere, & iurium diuersorum collisionem adeo frequentem esse, ut non possint non sententiae diuersae & obseruantiae forenses, variantes inde propullulare.*

§. III.

§. III.

Sed de corrupto hoc iuris in republica statu & morbis differere, animus nobis non est, qui legum statum, prout existeret solet, iam consideramus, non qui esse deberet, inquisituri. Variæ sunt *iuris & legum* diuisiones, quæ prolixè in systematibus & compendiis iuridicis inculcantur, quasque huc transcribere vix operæ est pretium. Id autem silentio præterire non possumus, esse aliquod insigne discrimen inter leges, quæ *immediate* a Maiestate feruntur & quæ *mediate* & arcana quadam connexionè ex eodem fonte oriuntur, suamque autoritatem accipiunt. Proinde aliud est ius, quod *immediate* constituitur a Maiestate, aliud, quod ratione originis proximæ non tam ipsam Maiestatem pro matre veneratur, quam natales ignobiliores habet, firmissimum tamen robur ab ipsa *summa* in republica *potestate* petit.

§. IV.

De priori iuris specie agere, nostrum non fert institutum. Ast quod ad posteriorem attinet, absque illius accurata consideratione ulterius progredi non consultum erit, cum principia doctrinæ nostræ circa materiam, quam excutiendam nobis summus, in ea sint magis recondita, prout rationes reipublicæ peculiare id suadent, iubent, admittunt. Neque enim in republica omnia ita ad amussim & regulam constituuntur: plura *per obliquum* sunt admittenda & indulgenda, ut finis reipublicæ etiam hoc modo obtineri queat. Infinita sunt eiusmodi *stratagemata* ab his, qui *ciuilem prudentiam* tradunt, obseruari solita, quæ hic intacta relinquo, & ad

iura, de quibus agendum esse dixi, propius accedo. Videlicet *iura*, quae *mediate* a maiestate deriuanda dicimus, *sunt ea omnia, quae in republica autoritate & vi obligandi quidem pollent, sed ab expressa ac directa seu immediata summi legislatoris voluntate non prouenerunt.*

§. V.

Nemo forte, qui naturam *ciuitatis* intelligit, inficiabitur, praeter maiestatem nemini in republica facultatem, proprio iure & potestate, normam aliquam actionibus ciuium praeficiendi, competere posse. Equidem plures aliae occurrunt *regulae iuris*, quae a summa illa potestate primo intuitu non videntur esse praescriptae, interim si autoritatem *coactiuam* vim & robur publicum habere debent, ea omnino a *sola maiestate* acquirunt, cum incongruum & periculosum esset, aliud in societate ciuili iuris principium statuere, quam maiestatem, a qua *potestas legislatoria* vnice dependet, eique inseparabili nexu iungitur. *l. f. C. de LL.* Imo leges ferendi potestates diuersas in vna republica agnoscere eadem ratione absurdum foret, qua duplex maiestas in vna ciuitate statueretur. Id ipsum siquidem est, quod protestantes clero Romanae ecclesiae obiicere solent, duplicem potestatem in quauis republica fingenti, & inde duplicem potestatem legislatariam inferenti, alteram *ecclesiasticam*, quae ecclesiae; alteram *secularem*, quae reipublicae ciuili tribui solet. Quae vero incongruae conclusiones & dissensionum ciuiliu femina inde per tot secula in vita ciuili coorta fuerint, prudentiores iam dudum agnouerunt, vt frustra

frustra laborasse videantur, qui *concordiam imperii*
& *sacerdotii* inducere annisi sunt.

§. VI.

Duplici vero modo accidere solet, vt iura *mediate* ex suprema maiestatis leges ferendi potestate originem traxisse dici queant. *Primo* sunt negotia, quibus imperans nullam dedit legem, sed eas arbitrio subditorum reliquit, normam vero, quam illi vsu recipere potuerunt, *tacite* approbasse creditur; unde *consuetudines, obseruantiae* &c. oriuntur, quae eandem, quam *expressae leges*, obligandi vim habent, praeclusa subditis ab iis temere recedendi facultate, quod docet VOETIVS (a). Hae consuetudines legis auctoritatem non nisi a summa potestate in ciuitate habent, & ab illa *mediate vsu* introductae dici possunt: hinc cum legis valorem nactae fuerint, non liberum est subditis iis derogare, licet pro earum autoribus haberi queant. Accedit praeterea haec ratio, quod summus imperans, cuius auspiciis & auctoritate subditi in *corpus civile* constans coaluere, hanc iis indulgisse videatur potestatem, vt in *rebus arbitrariis* ipsis rebus & factis, seu tacita voluntate, quaedam adornare potuerint, quae in posterum seruantur, aequae vt in collegiis bene constitutis *expressa* voluntate de rebus collegii plura hoc modo constituuntur.

(a) VOETI, *lib. singul. de statutis Sect. III. Cap. II. p. 56.*

§. VII.

Secundo maiestas libertatem regulam circa non-
nulla negotia constituendi subditis indulget atque
con-

concedit, quam facultatem imprimis *magistratui inferiori* largiri solet, qui cum ipse omnem, quam habet iurisdictionem & potestatem, imperanti summo acceptam ferre debet, ita & ius *statuendi* atque definiendi circa res & actiones ciuium, ex alio fonte deriuare nequit. Ea iura appellantur *specialissima*, *particularia*, *statutaria*, *municipalia* &c. quae respectu constituentium a summo legislatore procedere non videntur, aliud tamen principium obligandi agnoscere non possunt, quam *summam illam potestatem*, omnis iuris scaturiginem.

§. VIII.

De hac iuris specie, & de ea quidem, quae *STATVTORVM MVNICIPALIVM* appellatione venire solet, in praesenti dicere, in animum induximus. Neque nos deterrere potuit scriptorum multitudo, qui de hoc argumento acturi integra volumina compilarunt. Noti sunt PETRVS de ALLIACO, CHRISTOPHORVS de ANGLANO, IOH. CAMPEGIVS, ROCHVS de CVRTE, HENRICVS GISEBERTVS, MASCARDVS, SEBASTIANVS MEDICES, PETRVS RAVENNAS, BALDVS de VBALDIS, VNGEBAVERVS, PAVLVS VOETIVS, L. B. de LYNCKER, ZAHNIYS aliique, qui amplissimas commentationes de statutis congefferunt, vt silentio praetereamus pene multas dissertationes academicas, quae eandem tractarunt materiam. Ita vt hoc labore superfedere posse nobis videremur, nisi operae pretium fuisset, argumentum hoc nobilissimum & quotidiano vsu vexatissimum ex principiis veris deducere, quae in iurisprudencia vniuersa-

uersali traduntur, & naturam veram *statutorum* re-
 praesentant, reiectis vulgaribus praeiudiciis, quae
 doctrinam de *statutis* conturbarunt, eamque prope
 omni connexionione destituerunt. Neque enim vul-
 gatissimae materiae negligendae sunt, si non eo,
 quo debebant modo, traditae & explicatae sunt. Qui
 enim vel ZAHNII tractatum de *iur. municip.* intue-
 tur, animaduertet, plurima sine solido fundamen-
 to in hac doctrina adferri, praesertim cum interpre-
 tes crediderint, *iura municipalia* antiquorum *Ro-*
manorum vnice pro norma amplectenda esse, in quo
 grauius erratum est. Hinc nos conuertimus ad

CAP. II.

DE

NATURA STATVTORVM
 QVAE IN CIVITATIBVS PROVINCIA-
 LIBVS CONDVTVR EORVMQVE
 OBLIGANDI VERO PRINCIPIO.

SVMMARIA.

Vocis statuere etymologia & significatio §. I. Vo-
 cis statuti generalis & specialis significatio, de
 qua hic agitur, an statuum imperii leges statuta
 dici queant. §. II. Descriptio statutorum generalis eorum-
 que diuersae species. §. III. Definitio statutorum specialis,
 B quid



quid sint ciuitates municipales, leges municipales, differentia inter municipia Romanorum & hodiernas ciuitates prouinciales. §. IV. Ciuitatum in Germania conditio; nihil hic dici de statutis ciuitatum liberarum S. R. I. §. V. An ciuitatibus municipalibus seu prouincialibus competat ius condendi statuta? principia decidendae quaestionis, nemo leges dare potest praeter summum imperantem. §. VI. Resoluantur obiectiones ex iure Romano petitae: ius statuendi non absolute ex iurisdictione fuit. §. VII. Quomodo maiestas ciuitates prouinciales statuendi facultatis participes reddat? §. VIII. diuersa consensus conditio, quam maiestas statutis dare solet: applicanda haec ad confirmationem statutorum. §. IX. Conclusiones ex principio: statuta auctoritatem ex maiestatis consensu habere. §. X. Cui exercitium condendorum statutorum adscribendum? quod dependet ab administrantibus ciuitatem. §. XI. Quem concernant statuta? §. XII. Modus conficiendorum statutorum; statuta alia scripta, alia non scripta. §. XIII. Circa quas materias statuta versari queant? §. XIV. De obligatione statutorum: de statutorum genere, quae indolem pactorum habent §. XV. Finis §. XVI.

§. I.

STATVTVM vsitatissimum vocabulum a *statuendo* descendere grammatica docet, & otiosa est ANDRAEAE AB EXEA (a) philologia, qui *statutum*, quasi *statum publicum tuens* dici, somniat. Est vero *statuere* idem ac, *decernere* & quidem in foro Romano frequentissimus huius vocis vsus deprehenditur, cum iudex *statuere*, id est sententiam ferre dicitur. Hinc CICERO (b) *Te, inquit, forum Tarfi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicebant.*

cebant. Clarius VLPIANVS (c) in hunc sensum vocem *statuere* accipit: *pronunciatum & statutum idem potest, promiscue enim & pronuntiasse & statuisse solemus dicere eos, qui ius habent cognoscendi.* Sed non solum iudiciale est *statuere* vocabulum; verum etiam non raro significat *constituere*, quo sensu *statuti* vox significationem *constitutionis* induit, ac pro lege ab imperante condita accipitur; hinc imperatores THEODOSIVS & VALENTINIANVS (c), leges suas *statuta* appellare non dubitant: pluribusque GOLDASTVS (e) hunc vocis sensum exemplis docuit.

- (a) *Andreas ab Exea in. c. canonum statuta, de Constit. tom. 2. Repetit. iur. can.*
 (b) *Cic. fam. l. 3. ep. 6.*
 (c) *Ulp. lib. 56. ad Edict. l. 46. D. de Verborum signific. conf. l. 1. §. 1. in f. ff. quod quisque iur. in alter.*
 (d) *v. l. un. Cod. nemini licere signum Salvatoris Christi, conf. c. 1. de renunciat. in 6.*
 (e) *Goldast. in replicat. pro. imper. C. XI. de Constitutionum imperialium inscriptione & autoritate. p. 99.*

§. II.

Generalis haec vocis acceptio est, quae ad praesentem materiam minime spectat. Vsu enim inualuit, ut *statutorum* appellatio *sanctionibus* tribueretur *particularibus*, quae ab inferiori magistratu, cui potestas leges ferendi *ordinarie, independenter & proprio iure* non competit, eonduntur in particularem civitatis utilitatem. Hinc male illi loquuntur censentque, qui *statuum imperii nostri leges statuta* appellare & hoc

vocabulo earum dignitati detrahere volunt. Igitur non placent, quae BESOLDVS de statuum imperii statutis differit (a): accuratiora habet ZIEGLERVS, qui iussiones *statuum* imperii reuera esse & dici leges probat (b), quamuis non negemus, in legibus imperii publicis (c) non raro, quicquid *vniuersalis iuris* ambitum egreditur, *statutorum* nomine comprehendi.

(a) v. *Dissert. de regalibus cap. I. n. 2. p. 121. in thesauro practico.*

(b) ZIEGLER *de iur. Mai. Lib. I. cap. 5. n. 19. p. 120. conf. ill. DN. THOMASII. dissert. de potestate stat. imperii legislator. contra ius commune.*

(c) v. *Ord. Camer. P. I. t. 3. §. 1. & tit. 57. Reichs Hof-Raths-Ordnung Ferdinandi III. tit. I. §. 15. rec. imper. a. 1654. §. 105.*

§. III.

Remoto hoc significato, restat ille, quo per *statuta* intelligimus *eas sanctiones, quas personae iurisdictioni superioris subiectae dependente quadam potestate condunt.* Cumque variae in ciuitate occurrant personae, quae hac facultate gaudeant, varia quoque oriuntur statuta. Ita habemus STATVTA PROVINCIALIA, quae in prouincia, indulgente & concedente imperante, auctoritatem nanciscuntur; STATVTA CIVITATVM PROVINCIALIVM, quae ius in ciuitatibus municipalibus constituunt; sunt quoque STATVTA VNIVERSITATVM, collegiorum licitorum, imo FAMILIARVN, de quibus singulari erudito tractatu egit NICOL. BETSIYS (a). Haec tamen

tamen posteriora ad *pactorum* proprie dictorum magis accedunt indolem (b). Memoranda quoque sunt STATVTA SYNODALIA EPISCOPORVM & similia; quae inter leges ecclesiasticas locum habent non vltimum; & vniuersali iuri canonico sunt subordinata, iurisque auctoritatem tuentur. Ita archiepiscopus Coloniensis HENRICVS SECVNDVS in *statutis synodalibus* de a. 1321. rectissime his verbis utitur: *ex officio nobis commissi debito cogimur ipsos quos ad obseruantiam iurium & statutorum huiusmodi virtutum praemia non inducunt tam adiectarum exaggeratione poenarum quam adiucendarum de nouo formidine, ab ausibus temerariis refrenare & nostri capituli & praelatorum consilio & consensu.* Sed de his agendi hic locus non est.

(a) NIC. BETSII *de statutis, pactis & consuetudinibus familiarum illustriam & nobilium cura* IO. SCHILTERI Argent. 1699.

(b) v. doctissimam dissertationem DN. HORNII Icti Wittenberg. *de confirmat. statutor. municipalium* §. XLVII. habitam a. 1694.

(c) v. DN. LVNICH. *spicil. eccles. Sortseg. Pari. I. p. 421. conf. DOVIAT Praenot. Canon. Lib. III. Cap. XXXIV. de capitulis episcoporum p. 507.*

§. IV.

Ex dictis clarum erit, quid per STATVTA intelligi velimus, nempe, *iura, quae non immediate a summo legislatore descendunt, sed ab inferiori & dependente potestate, & quidem ex delegata potestate oriuntur.* Agimus autem hic de STATVTIS CIVI-

TATVM PROVINCIALIVM, quas vulgo *municipalia* appellare solent. MVNICIPIORVM mentio in iure Romano frequentissime occurrit. Iura eorum prolixè recensent SIGONIVS (a), MANVTIVS (b) aliique (bb): varia sub diuerso reipublicae Romanae statu fuerunt. A municipiis dicuntur *leges municipales*, quarum meminit GELLIVS sequentibus verbis: *Municipes sunt ciues Romani, in municipiis LEGIBVS SVIS ET SVO IVRE VTENTES*. Imo veteres ICTI (c) ad has *leges municipales* saepissime prouocant, prout doctissime docet EZECH. SPANHEMIVS (d). Caeterum conditionem municipiorum apud Romanos considerantem & cum statu ciuitatum nostrarum conferentem latere non poterit differentia inter *Romanorum municipia* & *hodiernas ciuitates prouinciales*, quamuis iamiam VLPIANI temporibus *ciuitatis* ac *municipii* vocabula promiscue sumi coeperint. Ita enim VLPIANO (e) obseruatum: *MUNICIPES proprie appellantur muneris participes, recepti in ciuitate, ut munera nobiscum facerent: sed nunc abusiue municipes dicimus, suae cuiusque CIVITATIS CIVES: ut puta, Campanos, Puteolanos*. Agnoscunt hanc differentiam multi recentiorum DD. Ipse MEVIUS (f) ciuitates superiorem recognoscentes abusiue hodie adhuc dici *municipales*, asserit, & inepte saepius applicationem a Romanis de municipiis legibus ad iura ciuitatum prouincialium fieri aliquot exemplis probat HERTIVS (g). Fundamentum differentiae in diuersitate *pruilegiorum*, quibus apud Romanos *municipia inuicem gaudebant*, quaerendum est, *neq*

nec non in discrimine singulari antiquae Romanae reipublicae a Romano-Germanica republica: hinc in multis rebus urbium nostrarum conditionem meliorem esse demonstrat B. HORNIVS (h), ac municipiorum Romanorum, vt merito deserendi sint, qui omne *ius statutarium* hodiernum ex *iure antiquo municipali* explicandum esse censent (hh).

- (a) SIGON. *de antiquo iur. Ital. lib. 2. c. 6.*
 (b) MANVT. *de civit. rom.*
 (bb) CONF. DN. OTTO Professor Ultraiectinus *in tr. de aedil. colon. & civ.*
 (c) SCAEVOLA *l. 6. D. de decret. ab ord. fac.*
 VLPIANVS *l. 3. D. eod. l. 1. D. de Alv. scrit.*
 MODESTINVS *l. 11. §. 5. D. de munerib.*
 (d) SPANHEM *orbis Roman. exercit. I. cap. XII. p. 96.*
 (e) *l. 1. §. 1. D. admunicip. & de incol.*
 (f) MEV. *in tract. de arrest. c. 5. n. 8. & consil. 93. n. 185.*
 (g) HERTIVS *in dissertat. de superiorit. territ. §. XXV. tom. II. opuscul. p. 234.*
 (h) HORNIVS *in dissertat. de confirmat. statutorum municipalium §. XI.* Addere etiam posses, in multis eam deteriorem esse, maxime si statum paulo antiquiorem *municipiorum* sub republica libera, vel etiam primis imperatoribus intuemur. Paulisper enim illa *libertas*, quae municipiis competiit, ad exemplum ipsius *urbis*, declinare & cum ipsa *urbe* in *seruitutem* redigi coepit. Proinde etiam hic tempora diuersasunt attendenda.
 (hh) Inter hos principatum gerere ZAHNIVM *supra cap. I. in f. dixi.* Ratio huius peruersae doctrinae inde haurienda, quod plerique interpretes opinati fuerint, nihil ratum habendum

bendum esse, nisi quod vel textu *iuris civilis* vel *canonici* exornari aut demonstrari queat; his iuribus omnis veræ eruditionis complexum contineri; sine illis omnia esse emortua, incerta, lubrica; ius omne publicum, naturæ, gentiumque inde petendum esse &c. Verum hoc *præiudicium* ab aliis iam dudum destructum, & ipsa iurisprudencia ab hoc seruitutis iugo liberata est.

S. V.

Ciuitatum appellatio rectius huc quadrat, quarum tamen in Germania non vna eademque est conditio. De *imperialibus ciuitatibus liberis* hic sermo non est, quæ cum *superioritate territoriali* gaudent, aequæ vt alii status *leges* condunt, quod ius prolixè vindicauit KNIPSCILD (a), quamuis non nunquam *leges suas statuta*, more forsan antiquo (aa), appellare maluerint (b). In præsentia de *ciuitatibus prouincialibus*, quæ immediate alicui statui subsunt, mediate vero imperatori & imperio acturi, primo loco quaerimus, *an ciuitatibus prouincialibus ius condendi statuta competat?*

(a) KNIPSCILD, *de iur. & priuil. ciuit. imperial. Lib. II. Cap. X. n. 2. p. 393.*

(aa) Quis enim ignorat antiquitus *legislatoriam* statuum *potestatem* admodum restrictam fuisse, & ciuitates imprimis *immediatas* sæpe *confirmationem* legum suarum ab imperatore petisse & impetrasse.

(b) v. *Satzung / Statuten und Ordnungen beständiger guten Regierung. Einer billigen ordentlichen Policei in jeden Rechten gegründetes Ebenbild. Allen Herrschaften und Unterthanen, Städten, Communen, Regimenten, Gerichts- und Raths-Verwandten in bürgerlichen und*
recht:

rechtlichen Händeln fast behülfflich und nothwendig. Weis
lant in des heil. Reichs Stadt Worms fürgenommen
Frankfurth am Mayn 1531. Ita & Hamburgenses hoc
titulo vsi sunt v. Hamburger Statuten und Stadt-Recht
Hamb. a. 1603. 1605. 1681. plura vt adducamus exempla,
opus esse nobis non videtur.

§. VI.

In decidenda hac quaestione ea sunt attenden-
da, quae supra (a) scripsimus: vna in republica est
maiestas seu suprema potestas, vna leges ferendi
potestas; a qua obligationis vinculum oritur. Sta-
tuta si *legum* auctoritatem habere, si actionum a ci-
uibus instituendarum norma esse debent, robur &
vim a summa potestate in republica vt habeant ne-
cesse est. Hinc firmissimo talo stat conclusio: *leges
aut quid legibus simile, praeter maiestatem in ciuitate
nemo sancire ac introducere potest: igitur neque sta-
tuta ab villo corpore superiorem agnoscente, inter
quae ciuitates prouinciales etiam referendae sunt, iu-
re proprio* (b) promulgari possunt.

(a) Cap. I. §. 5.

(b) Aus eigener Macht und Gewalt, vt stylo vulgato asserere
solent. Quod *potestate delegata* fit, huic opponitur.

§. VII.

Nihil nos mouent rationes in contrarium, quae
ex *iure Romano* allegari solent. Non obstat CALLI-
STRATVS (a), quando *decreta ordinis* non oportere
rescindi ex rescripto D. HADRIANI Nicomedensibus
dato refert. Nam versatur rescriptum circa ius
ordini decurionum, qui municipiis praeerant, com-
petens; quam infirma autem ex *municipiorum* com-
paratione cum ciuitatibus nostris prouincialibus du-
cantur

C

cantur

cantur argumenta, paulo ante monuimus. Municipia ius suarum legum habebant, quod multo scientiae legitimae apparatu docet EZECH. SPANHEMIVS (b). Fruebantur hac libertate ex moribus Romanorum, referente VLPIANO (c); quae cum iuri Romanorum publico conueniant, non eadem ratione ad statum germanicarum ciuitatum applicari queunt. Sunt alii (d), qui ius *statuendi in iurisdictione* radices agere existimant, imo COLERVS merito atque mixto imperio inuestitum, statuta condere posse credit; sed a potestate *ius reddendi* ad ius ipsum seu leges constituendi potestatem male inferri, solide demonstrant LYNCKERVS (e) & MEVIUS (f), quamuis non negemus, iurisdictionis exercitium facile incidere posse in iuris constitutionem, cum iurisdictione exercenda non raro indigeat decretis, executionem iudiciorum promouentibus, quae a domino iurisdictionis sanciri posse, nonnulli existimant, adducto specimine aus der ober Oester. Landes-Ordnung/ in qua illis, qui iurisdictione gaudent, permittitur, daß sie mögen zur Handhabung ihrer Gerichte Ordnungen machen/ so der Herrschafft. Landes-Ordnung und Billigkeit nicht entgegen/ interim non comprehendimus, necessario iurisdictioni inesse statuendi facultatem.

(a) in l. 5. D. de decret. ab ordine fac.

(b) SPANHEM in orbe rom. exerc. l. Cap. XII. p. 96.

(c) l. 25. D. ad municipalem.

(d) COLER P. I. Proc. Execut. c. 3. n. 12. KLOCK Tom. I. conf. 10. n. 817.

(e) LYNCKER de statutis ciuitatum prouincialium.

(f) MEVIUS in discuss. leuam. inof. debit. c. 2. n. 106. no. conf.

conf. IDEM *qu. 2. praelim. ad ius Lubec. n. 25. & 52.*
 SVTHOLD *de iurisdiet. §. 286. sq.*

§. VIII.

Cum autem nobis *potestas statuendi* a sola *maiestate* tanquam omnis iuris fonte deriuanda videatur; nunc inquirendum erit, *quomodo maiestas huius facultatis participes reddat ciuitates prouinciales?* Requiritur enim ad statutorum valorem **CONSENSVS MAIESTATIS**, qui aliquando est *expressus*, aliquando *praesumptus*, aliquando *tacitus*, & vel compositionem statutorum antecedit, vel sequitur.

§. IX.

PRAECEDIT imperantis consensus, quoties *facultas statuendi* ex maiestatis concessione constat: **SEQUITVR**, si Princeps confirmet, ratihabeat, approbet a ciuitatibus statuta. Consentit maiestas *expresse*, si priuilegio aut pacto ius statuendi largiatur, cuius exemplallegat WERLHOFFIVS (a). *Consensisse praesumitur*, si curam legum non habeat, actiones subditorum ad certam normam non reuocet, magistratui inferiori constituto administrationem & regimen ciuitatum ac vniuersitatum relinquat; nam qui vult finem, media etiam voluisse creditur. Et huc illi respiciunt, qui ex *iure ciuitatis* cum vniuersa *politiae* administratione concessa concessam aliquam statuendi libertatem inferunt, formato hoc argumento, eum, qui iure ciuitatis gaudet sub quacunque demum amplitudine, etiam gaudere iure statuendi pro modo & captu suorum iurium (b). *Tacite* consentit, si autoritate statuta pollere sinat, si in supremis dicasteriis iuxta eorum sensum lites dirimere actiones

que subditorum diiudicari permittat, & hoc triplici modo quoque confirmatio statutorum quoque fieri potest.

(a) WERLHOF *Specim. II. iuris maxime quo in foro Germaniae utimur.* p. 231.

(b) HORN. *in dissert. citat. §. 35.* maxime circa ea, quae *politiam ciuitatis* respiciunt, quorum pertinaat, *Silber-Gasse, Feuer-Bräuer-und andere Ordnungen, welche die Pollicey angehen.* Quibus ciuitatibus enim plena *politiae* administratio indulta, eis quoque id concessum esse videtur, sine quo haec exerceri commode nequit.

§. X.

Omnis igitur *statuti* vis ab hoc imperantis consensu dependet, quo deficiente, de *statuti* autoritate merito dubitamus: illo autem praesente, *statutum*, quo minus pro *lege* habeamus, non videmus. Pronae ex his principiis sunt conclusiones: eandem statutorum ac legum esse conditionem (a), vnum eundemque obligatorium tenorem, eandem iis deberi obedientiam, ius interpretandi aequae ad imperantem pertinere, nisi interpretandi facultatem cum priuilegio statuendi concesserit, quod plerumque praesumitur: sensu *statuti* dubio eligendam sententiam, quae *iuri communi* minus aduersetur (b); strictioris quidem interpretationis esse *statutum*, interim in paritate casus & rationis omnino admittere extensionem (c); posterius tollere prius, imo aliquando leges prouinciales (d) & vniuersales; actus contra *statuta* susceptos ipso iure etiam nullos reddere posse; sine imperantis consensu mutationem tentari non posse; prudenter agere, qui expressam summi *legislatoris confirmationem* requirunt, quanquam
tuti

tuti esse possint, si de *tacito*, imo quandoque *praesumpto* imperantis sint certi & persuasi consensu; statuta irrita esse, quae iura imperanti debita violant: imperatorem derogare statutis, imo ea abrogare posse, temere autem non reuocanda, cum plerumque a subditis per modum priuilegiorum aut quandoque titulo oneroso acquirantur: ex statuto agenti non poni posse *exceptionem non obseruati statuti* (e).

(a) ZIEGLER *de iur. Mai. Lib. I. cap. 5. §. 17. p. 119.*

(b) Quatenus scilicet disponit (1) de *materia*, quae iure communi est determinata, constituta, & exposita, (2) quaeque ad *statum Germaniae* quadrat. Vnde huc minime referendum, quicquid in iure communi de ipso *iure municipali* traditur.

(c) Maxime iis in causis, quae praeter *ius commune* statutum determinauit. Dantur plures eiusmodi doctrinae, solis statutis propriae, nec in iure communi fundatae, quae quamcunque admittunt interpretationem, ex natura *legum*, quorsum pertinent iura statutaria braxandi, item iura opificum. Denique dantur materiae in statutis, quae prorsus cum iure communi pugnant, illudque tollunt, qualis est doctrina de *communione bonorum omnimoda inter coniuces*, quae ex iure communi minus recte explicatur, cum plane diuersa agnoscat principia.

(d) Sic quamuis in Marchia coniux superstes dimidiam omnium bonorum capiat ex lege provinciali; dantur tamen statuta quarundam ciuitatum, secundum quae superstes, nullis existentibus liberis, in omnia bona succedit.

(e) SEHILTER *in Exercit. I. ad Pand. §. 8.*

§. XI.

Ad aliam nunc deuenimus quaestionem, *cuinam exercitium condendorum statutorum adscribendum sit?* vbi cum distinctione respondendum est: & quidem

generaliter notandum, *statutorum* introductionem illis regulariter competere, quibus *administratio & regimen ciuitatis* commissum, cum administrationis non vltimum officium sit, vtilibus ac salutaribus statutis ciuium commoda promouere. Ast quia diuersae quoque ciuitatum prouincialium sunt formae, diuersa quoque fanciendi ratio occurrit, quae plerumque ex obseruantia & moribus dependet.

§. XII.

Conficiuntur autem statuta proprie in vsum certae cuiusdam societatis, hinc extra eam eorum valor extendi nequit. Omnes igitur, qui membra ciuitatis repraesentant, & iurisdictioni constituentium subiecti, statutorum obseruantiae se subtrahere nequeunt. Inde facile colligere possumus, cur nec Princeps (a) neque eius familia (b) neque ministri neque possessores domuum priuilegiatarum (c) neque illi, qui foris singularibus, vt Academici clerici aliique (d) sortiuntur, statutis similibus ordinarie teneantur.

(a) ZIEGLER *de iur. mai. lib. I. cap. I. n. 17. p. 9.*

(b) VOET. *de statut. sect. VIII. cap. 2. p. 155.*

(c) WERLHOF *specim. sec. iur. enucl. p. 235.*

(d) De ministris ecclesiae vid. CARPZ. *coroll. 4. diss. de confrat. de officialibus principum BRVNNEM. 3. dec. 60. de possessoribus domuum priuilegiatarum CARPZ. P. 3. C. 12. def. 19. de professoribus IDEM lib. 6. resp. 42. n. 20.*

§. XIII.

Quod ad *modum* conficiendorum statutorum attingit: plerumque in scripturam redigi solent, optimo consilio, ne consignatione destituta in ius vagum atque incertum degenerent. Ast cum tardiores fuerint in conscribendis statutis maiores nostri, quod
iunio-

iuniores malo exemplo quandoque sequi amant, magna statutorum non scriptorum nata est copia, vt SCHILTERO (a) placuerit, inde ansam arripere diuidendi statuta, *in scripta & non scripta*, quae posteriora *consuetudines* locorum ex vsu & consensu imperantis auctoritatem nactae, dicuntur, non confundendae alias cum statutis, quam confusionem ii incidunt, qui ciuitatum prouincialium statuta pro specie *consuetudinis* habent, decepti vulgari sed minus accurato more, quem imprimis Gallica (b) iura obleruant, qui sub titulo iuris consuetudinarii, *Coustumes*, etiam *statutaria* comprehendunt iura.

(a) SCHILTER *in Exercit. ad D. p. r.*

(b) BOVCHEL *Bibliothèque ou tresor du droit françois. tom. I. p. 699.*

§. XIV.

Restat quaestio insignis: *circa quas materias statuta ciuitatum prouincialium versari queant?* Generaliter notandum: imperantem hanc statuendi facultatem modo laxiorem modo strictiorem reddere posse, eiusque prudentiae relinquendum, quantam ciuitatibus prouincialibus indulgere velit libertatem. Sunt quaedam negotia, quae generalibus legibus non commode circumscribi possunt, quorumque executio a circumstantiis dependet, quae pro diuersitate locorum variare solent: in his statuendi facultatem imperantes bono consilio inferioribus largiuntur: alii quoque occurrunt casus, in quibus statuendi ius ab inferiori magistratu exerceri non sine maxima vtilitate potest, nempe in omnibus negotiis, quae *administrationem ciuitatis* ab imperante commissam promouent, cum quibus magistratus certis opus habeat ordinationibus in exequendo

muner-

munere suo, quas autem omnes & singulas praescribere nimis molestum foret summo legislatori. Circa alios casus statuendi facultatem nemini asserere possumus, nisi imperantis consensus expressus aut tacitus adsit, aut praesumi possit.

§. XV.

De obligatione statutorum saepius iam dictum, cum ea, quae de *legum* obligandi vi proferri solent, a praesenti materia non sint aliena. Statutis enim legum auctoritatem vindicauimus. *At sunt ne statuta, quae legum vim habent, sed propius ad pactorum indolem accedunt?* Ita videtur ZIEGLERO (a), qui omnem statutorum vim ex consensu civium inter se & cum magistratu, deriuat. Neque nos negamus, frequentes existere casus, in quibus eiusmodi pacta in ciuitatibus prouincialibus sanciantur, eaque, si legibus scriptis non derogent, aut ratione sua destituantur, firmam producere obligationem non iure *legis* aut vi sua sed propter *pactum*; propterea illa non citius legum speciem fieri, quam si a Principe sub *statutorum* nomine acceperint confirmationem, siue expresse siue tacite illa sequatur (b).


(a) ZIEGLER *de iur. mai. lib. I. cap. IV. §. 16.*


(b) *Cap. II. §. 9. ZIEGLER l. c. §. 17. p. 119.* Vtrum autem haec confirmatio sit absolutae necessitatis, alia quaestio est. Quin ad *bene esse* multum faciat, nemo in dubium vocabit. Ceterum sicuti pacta per se efficaciam suam sine hoc adiumento ciuili habent, ita arbitror, etiam talia pacta publica in ciuitatibus citra confirmationem valere.

§. XVI.

Haec de natura statutorum eorumque obligandi principio, dixisse in praesenti sufficiat, quum ad specialiora progredi, animus non fuerit. Caeterum haec principia decidendis pluribus quaestionibus satisfacere potuerunt, in quibus decidendis fluctuare DD. aut minus cohaerentia proponere saepius solent.

F I N I S.





CORROLARIA.

I.

IN Germania vniforme & con-
sonumius introducere, res mo-
raliter impossibilis esse videtur.

II.

Magna pars statutorum & iu-
rium particularium ex consuetudi-
nibus antiquioribus orta est.

);(.

III.

III.

Actionibus priuatorum leges praescribere, res est, quae ex praesenti Germaniae statu Domini territorialibus magis conuenit, quam vniuersalibus imperii conuentibus.

IV.

Leges statuta dici possunt: si tamen in sensu consuetudinario vocem statutorum accipias, ea vox non bene adhibetur in describendis legibus particularibus statuum.

V.

V.

Magistratui inferiori statuendi facultatem in multis negotiis optimo consilio relinquit Princeps.

VI.

Diuersitas territoriorum, quae in Germania vni domino subiiciuntur, vtplurimum impedit, quominus Dominus territorialis etiam in sibi subiectis terris vnam iuris imprimis in iudiciis procedendi formam praescribere possit.

VII.




VII.

Clericis regulariter non succedi-
tur in ciuitatibus municipalibus
secundum ius statutarium.

VIII.

In statutis voce der rechten äch-
ten Kinder etiam veniunt legiti-
mati.



IV





AB 153 582

(1/31.)

X2369357

1017

12



DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

NATVRA
STATVTORVM, QVAE IN
CIVITATIBVS PROVINCIALIBVS
CONDVNTVR EORVMQVE
OBLIGANDI PRINCIPIIS

QVAM

INDVLTV

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BÖHNERO

ICTO, POTENT. REGI BORVSS. A
CONSIL. INTIM. ET PROF.
IVR. ORDIN.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES

AD D. XIIIX. IAN. MDCCXXI.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

SVBICIET

A V T O R

CHRISTIANVS SIEGFRIDVS NESEN
ZITTAV.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACADEM. TYPOGR.